

M. 7. F.

DISSERTATIO GRADUALIS

DE

OFFICIIS HOMINUM

CIRCA

MALA NATURALIA,

QUAM

*Conf. Ampliff. SENATUS Philos. in Regia ad AURAM
Academia,*

PRÆSIDE

M^{AG.} JOHANNES
BILMARK,

Histor. ac Philosoph. Pract. PROFESSORE Ordin.

Publico examini modeste defert

MICHAËL POLVIANDER,

V. D. M.

In AUDITORIO MAJORI Die XVII Junii
Anni MDCCLXXII.

Horis ante meridiem consvetis.

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

PRÆFATIO.

Sicut Supremum, quod cernui veneramur, Numen in se est optimum; ita etiam creaturis suis, præcipue vero hominibus, creaturarum nobilissimis, omnem illam impertit felicitatem, cujus unquam illas capaces esse judicat. Enimvero sicut Princeps in solio Majestatis suæ constitutus, hanc in se recipiens obligationem, ut cives suos felices reddat, sibi nihilominus reservat facultatem pro re nata determinandi modum, quo eadem rite & ut civitatis fert ratio, obtineri queat; ita etiam supremus cœli terræque Monarcha, aptissime omnia in civium suorum disponit felicitatem, & fata eorum ita dirigit, ut quamvis in curriculo hujus vitæ multa votis nostris, nimis plerumque levibus, sint contraria, ex postfacto saltem deprehendamus, DEUM nobis supra spem & opinionem eximium in modum consuluisse. Attamen nihil fere in vita communi est frequentius, quam ut homines de malis quibusdam Physicis, quæ naturalem eorum statum reddunt imperfectiorem, jugiter conquerantur. Docet autem experientia, quod mala hæc non sint unius ejusdemque generis. Nonnulla enim talia sunt, ut ad totum genus nostrum sese extendant. Sic ex Sacris novimus Litteris, quod telluris fœcunditas propter lapsum primorum parentum sit admodum imminuta, & quod ipsa deinceps per subsequens diluvium gravissimas subierit mutationes. Hæc mala dici solent & possunt *Universalia*. Quædam autem *Particularia* sunt & integras adficiunt vel regiones vel urbes, quorsum pertinent terræ motus, graviores inundationes, bella, excidia rerum-

rerumpublicarum, aliæque his similes calamitates. Quædam denique sunt *Singularia*, quæ vel certas familias vel in his quasdam tantummodo personas magis quam alias premunt, uti paupertas, incendia, morbi, aliæque, ut longam horum omnium seriem reticeamus.

§. I.

Quamvis multæ magnæque imperfectiones genus nostrum comitentur; non tamen propterea erit existimandum, quod eadem per se ad nos pertineant. Originem enim ducimus ab Ente & perfectissimo & optimo, quod, ceu modo dictum est, in creaturas suas omnes confert perfectiones, quarum easdem capaces esse censuit; quod vero nihilominus cum variis colluctentur difficultatibus, hujus incommodi causas in proprio sinu quærere debent. Postulat DEUS, ut supremus Monarcha, a singulis suis civibus, ut ad tenorem ipsius legum, tam cordibus nostris inscriptarum, quam deinceps revelatarum, actiones suas componant, & rationem, illum boni rectique monitorem, sequantur duce. Sed quamvis ipsi satis animadvertamus, quod ad obedientiam DEO præstandam vi dependentiæ nostræ a DEO simus obstrictissimi; tanta tamen est multorum ingenii levitas, ut aliter sentiant, aliter vivant, & adfectuum illecebris in transversum acti, præcepta Divina de agendis vel fugiendis partim negligant, partim etiam contempnant. Malum igitur Physicum fundatur in malo morali, seu in defectu convenientiæ actionum liberarum cum lege Divina. DEUS igitur uti est sanctissimus & justissimus, ita non potest non tergiversantes, ceu rebelles cives, promeritis affligere pœnis. Pone enim DEUM aliter sese gerere, & quod mala Physica non subsequerentur Moralia; concludere par foret, DEUM se indifferentem habere, nec admodum

dum curate, sive quis observet leges a se latas, sive easdem transgrediatur. Quod quum absurdum prorsus sit, & sanctissimis DEI attributis e diametro contrarietur; sequitur rursus, quod mala quævis Physica originem suam repetant a malis Moralibus. Quocirca admirari debemus sapientiam Divinam in eo sese exferentem, quod mala Physica non eadem ratione excipiant moralia. Nam quædam horum ejus sunt indolis, ut malum Physicum cum illis naturalem ac necessarium habeat nexum. Cogites enim plerasque malas actiones, & deprehendes naturale malum cum eisdem esse conjunctum, quod tam corporis, quam animi vires graviter, licet lente interdum, adffigit. Immo vitium quodvis est instar ferocis canis, cujus caput si demulceas, ipse vicissim manum tuam mordet; nam quo quis peccat, eodem & ipse plerumque punitur. Ponamus enim quendam Bacchi Venerisque vel aliorum vitiorum operatorem; ipse quidem aliquamdiu in suis sordibus, quod delectat, inveniet; sed hoc illius gaudium, num verum num durable? Minime; opibus enim dilapidatis viribusque enervatis, vel miserrimam vitam transiget, aliis derisui, sibi oneri futurus, vel in gravem morbum incidet, immo præmaturam sibi consciscet mortem. Quædam rursus mala moralia non nisi longo post tempore excipiunt Physica; sed quo serius manifestantur Divina judicia, eo etjam gravior esse solet vindicta. Atque hæc quidem est ordinaria causa malorum naturalium; insuper vero DEUS probis etjam sibi que dilectis hominibus varias subinde calamitates non sine gravissimis causis immittit. Nec sic tamen quidquam facit, quod a paterno, quem erga ipsos gerit, adfectu foret alienum. Quotusquisque enim est parens, qui, si filium suum impense amet, ipsum laboribus non excercet, ut hic suas experiri discat infirmitates, atque in casibus quibusvis obyus sciat quid

valeant humeri, quid rursus ferre recusent; ita etiam celestis Pater dilectos sibi liberos excercet, ut suarum infirmitatum sibi conscii, in supremi Numinis sinu, sævientibus licet undique procellis, firmiter ac secure quiescant; adeoque mala Physica in hoc etiam casu cum Divina bonitate consistere possunt.

§. II.

Officia sunt actiones legibus attemperandæ: quamobrem, quum actiones nostræ concernunt vel DEUM, vel nosmetipsos vel alios homines, sequitur etiam, quod respectu diversarum personarum, diversa quoque observanda sint officia, cum aliis in casibus, tum ingravescentibus malis naturalibus. Primo igitur his excitari debent homines ad DEUM timendum. Quum enim, ceu modo fuit ostensum, mala Physica ordinarie insequantur mala moralia; hæc autem tanto magis DEO displiceant, quanto magis a summa ejus sanctitate recedunt; homines adversitatibus jactati non possunt non cogitare, nisi eorum pridem occalluerit conscientia, quod suis malefactis Divinam provocaverint iram ac vindictam. Merito igitur metuunt, ne graviora adhuc perpetiantur mala, nisi DEUM modo, quem ipse præscripsit, placare studeant. Verum quidem est, quod hic metus sit servilis, qui supremo Numini non placet, quippe DEUS raro Despotam sese gerit, sed Monarcham, qui in magna hac sua civitate liberos tantummodo cives constituit, prodest tamen hic metus eatenus, tum quod homines per eundem sensum deterreantur a facinoribus patrandis, tum etiam quod ille in timorem filialem mutari tandem queat; hominesque ad meliorem frugem reducti ex adfectu amoris ea deinceps agant, quæ solus metus antea expresserat; præsertim quum ipsi animad-

vertant, non benignissimum DEUM, sed sua vitia fuisse causam ingruentium malorum.

§. III.

Sicut mala naturalia hunc habent effectum, ut homines potius ad DEUM deducant, quam eos ab ipso abducant; ita quoque illis ingruentibus supremo Numini propius quasi adhærere debemus. Quam enim prævia constet experientia, quod homines, rebus omnibus ex voto fluentibus, his ita delectari soleant, ut in ipsarum partim usu partim abusu suas quærant ac ponant delicias; quamobrem in continuo rerum successu DEUM, suum benefactorem, plerumque obliviscuntur, saltem segnius colunt. Disruptis vero per adversitatum procellas vinculis, quibus homines rebus terrestribus quasi alligati fuerunt, liberius spirare incipiunt, cogitationes atque meditationes ad supremum DEUM elevantes, Ejusque judicia admirantes. Demta sunt vel saltem imminuta præsidia, in quibus felicitatis suæ fundamentum antea posuerunt; quare quum felicitatem jugiter anhelent, aliud ejusdem fulcrum, falli ac mutari nesciam, anquirunt, quod quum extra DEUM inveniant plane nullum, DEO etiam propius adhærere incipiunt. Esto, quod dentur nonnulli adeo perfrictæ frontis, ut per immissas sibi calamitates non emendentur, sed exasperentur & indies fiant deteriores; hi pauci plerumque sunt, & proinde ab eorum exemplis petitum argumentum non valet ad infringendam sententiæ nostræ veritatem. Paucis: adversitates faciunt, ut homines hinc DEUM, ut patrem, illinc ut Dominum agnoscant; ament illum, venerentur hunc, timeant utrumque, sed timeant cum amore ac veneratione.

§. IV.

§. IV.

Ingruentes calamitates deducunt quoque homines ad Divinam Providentiam suspiciendam. Considerari possunt binæ hominum, proborum videlicet ac improborum, classes. Hi plerumque delectantur tum facinoribus suis, tum imprimis, quod occulte adeo eadem pataverint, ut nec vola nec vestigium auctorum appareat, quare perpetuam sibi in sinu pollicentur impunitatem. Sed quum interjecto tempore animadvertant, quod judicia in foro poli lata ingravescant, & quod eodem ferme modo puniantur, quo deliquerint, simulque cogitent, quod casu fortuito eventus momentosi & ratione fundati non contingant; necesse est ut, nisi pectus pumice durius gerant, Divinam, quæ omnia gubernat, providentiam agnoscant, quæ occultissima quævis malefacta modo convenientissimo punit. Contra ea si pii animadversionem Divinam subinde experiantur, non tam pœnas metuunt, quam potius paternas DEI admonitiones suspiciunt, quas ideo sibi immissas esse norunt, ne in virtutis semita socordes sese gerant. Hinc igitur in exercitio pietatis excitantur, atque cernui exosculantur & manum castigantem & indicia amoris luculentissima, quæ ita erga ipsos declarat.

Schol. Si gentiles consideremus, deprehendimus, quod multi eorum ad providentiam Divinam graviter offenderint, & tantum non rationis naufragium in isthoc argumento fecerint. Ex Historia enim Litteraria imprimis constat, ipsos eum sapientia & paterna DEI cura non potuisse conciliare, quod DEUS bonis & bene meritis varias subinde immittat calamitates. Enimvero alia sunt DEI, alia hominum judicia. Discrepant quidem plerumque leves nostri calculi ab exactissimis sapi-

sapientiæ Divinæ rationibus, sed admiranda DEI providentia sibi nihilominus optime constat. Sicut enim in Oeconomia levis jactura sæpe magno lucro occasionem præbet; ita etiam in adversitatibus sæpe parantur hominibus imperatæ felicitatis incrementa, vel saltem impediuntur, ne in graviores calamitates incidant. Et quid foret felicitatis nostræ serenitas sine aliqua infelicitatis nebula?

§. V.

Quid? Quod bonitatem Divinam in malis naturalibus venerari debeant homines. Quicquid enim DEUS, Ens illud optimum vult, id non potest non bonum esse. Velle autem DEUM, ut homines malis naturalibus subinde premantur, nemo dubitare potest, quum talia cæteroque nunquam contingerent; postulat quoque hoc summa DEI sanctitas & justitia. Ergo quum inter Divinas perfectiones accuratissima detur harmonia; sequitur, quod mala naturalia non contrarientur bonitati Divinæ. Non tamen propterea erit existimandum, quod mala Physica positivum quoddam producant bonum; hoc enim sine manifesta idearum repugnantia statui non potest; sed remote imprimis generi nostro commodum adferunt, tum tollendo impedimenta, ut bona locum habere possint, tum etiam homines excitando, ne in stadio virtutum evadant legnes.

§. VI.

Quæri nihilominus potest & solet, quomodo bonitas DEI in ejusmodi agnoscatur actibus, in quibus plura odii, quam benevoli adfectus comparent indicia. Respondemus, quod in isthoc etiam labyrintho varia fila
ari-

Ariadnæa inveniat cordatus homo, quibus sese hinc expedire queat. Novit enim, quod optimus DEUS semper velit hominum felicitatem, non fluxam, non imaginariam aut apparentem, sed perpetuam ac veram; vult igitur media, quæ ad hunc conducunt finem, eademque apte disponit. Quocirca molliter ducit eos, qui se beneficiis duci patiuntur; increpat autem immixtis malis naturalibus eos, quos in vitiorum diverticula secedere animadvertit, ut sic discant rebus fugacibus minus statuere pretium, nec suo ingenio aut suæ industriæ omnia tribuere. Quamobrem in his quoque casibus puniti emendationem, non ejus interitum, intendit sapientissimum Numen; qua quidem ratione suam bonitatem manifesto declarat. Pone autem nulla esse mala naturalia, quis non videt, quod plerique hominum pro præsentis rerum nostrarum conditione potius adfectuum illecebras, quam rationis ductum sequerentur, prius non sistendi, quam in malorum barathrum præcipites ruant. Bene enim *CARPOVIUS*: multi labem vitiorum, quibus contaminati sunt, prius non animadvertunt, quam sensus præsentis calamitatis præteritæ vitæ spatium in memoriam eis revocet. Quid denique tum fieret, si homines quibusvis vitiis impune & sine metu secuturi mali indulgere possent, quum nunc ab eisdem non abstineant, quamvis sciant, quod mala naturalia citius serius insequantur commissa peccata?

§. VII.

In antecedentibus jam vidimus, quod mala naturalia sint vel universalia, vel particularia vel singularia; dispiciendum igitur erit, quomodo in his Divina specialius elucescat bonitas. Universalibus & particularibus tam probi quam improbi diverso tamen respectu sunt obnoxii; hi quidem propter commissa flagitia, a quibus

sefe lenioribus mediis revocari non sunt passi; illi autem ut virtutis suae robur declarent, tum etiam, quod ex complicatis his casibus sine continuis miraculis liberari nequeant. Exemplo res fiet clarior. Ponamus, quod in eadem navi tam probi, quam improbi navigent, quod tempestas oriatur, quae navem ad scopulos jactat, ut naufragium faciat, hominesque in desertam insulam projiciantur, ubi fame, frigore & squalore intereunt. Quis, quaeſo, non videt miraculo opus fuisse, ut his malis eximerentur pii, relictis impiis; sed quum naturae leges iterum iterumque suspendere, sapientiae Divinae non conveniat, nec a bonitate Divina in tali rerum articulo aliquid erit expectandum, quod a sapientia ipsius foret alienum. Enimvero singulis rite perpensis, quid mali piis accidit? Mors. Sed quid Mors? Nonne transitus ex hac miseria in feliciorē & nullis unquam malis intermixtam vitam. An igitur DEUS male agit, dum homines sibi dilectos ex statione, aleae plenissima, ad tranquilla halcyonia citius, quam quidem expectaverant, evocat. Praeterea non ex eventibus ad gubernationem Divinam erit concludendum, sed potius eventus quilibet ita sunt dijudicandi, ut judicia nostra congruant cum idea, quam de DEO optimo ac sapientissimo nobis formare debemus. In negotiis humanis multa subinde perverse fiunt; ejus ratio est, quod homines sint vel socordes, vel iniusti vel veram rerum indolem ignorent. Sed nihil horum in DEO, Ente perfectissimo, invenitur; totum hoc universum sapientissime regit, cur igitur crederem, aliquid sine ordine & sapientia hominibus posse contingere? Adde, quod in tragicis casibus duo distinguere liceat momenta, quorum alterum est evidens, alterum autem obscurum. Evidens omnino est, quod DEUS sit justus, sapiens & omnipotens; obscurum est, an irregularitas, quae subinde occurrere videtur talis revera sit, qualis apparet, quis

quis enim curta ingenii decempeda immensam sapientia Divinae abyssum metiri potest? Ex certo argumentor de incerto & proinde concludo, omnia in hoc mundo juxta exactissimi ordinis regulas fieri. Quod denique ad mala singularia attinet, pleraque horum speciem mali tantummodo mentiuntur & magnis bonis saepe compensantur. Sic premitur quis paupertate, sed idem tamen firma gaudet valetudine & exultum habet ingenium, quam utramque prerogativam illi non raro desiderant, qui in omnium rerum affluentia vivunt. Adfligitur alius morbis vel saltem valetudinarius est, sic autem, ut alia reticeam, a multis impeditur vitiis patrandis, quibus alias forte succubuisset, & tranquilla gaudet conscientia, cum totius mundi divitiis non comparanda. Quae omnia docent, quod Divina bonitas in malis etiam naturalibus elucescat.

§. VIII.

Quod ad officia attinet, quae homo, ingruentibus malis naturalibus, erga semetipsum observabit; illorum primum est, quod quisque eadem, quantum in se est vel declinare vel saltem imminuere honeste studeat. Innoxiae certe cautelae nihil continent, quod DEO foret adversum. Ipse enim non solum nostra delectatur felicitate, sed etiam cordibus nostris tenerrimum nos conservandi studium indidit, quod facit, ut incommoda quaevis sollicitate effugiamus. Sunt autem mala naturalia duplicis generis, alia enim ex prima humani generis corruptione oriuntur, alia vero hominibus ex sapientissimo DEI consilio immittuntur, partim ut poenae vitiorum temere commissorum, partim ut homo suam fidem aliasque virtutes probet. Quamvis autem illa penitus evitari nequeant, potest tamen homo, Divina gratia sufful-

aus, propria accedente cura, eorum gravitatem imminuere, adeoque cavere, ne proclivitas prava in actus vitiosissimos erumpat. Ut alterius generis mala Physica declinet, tum ad Divinam confugit misericordiam, tum facultates animæ suæ excolit & corpus imperium rationis sequi advesfacit; quo quidem modo sicut culturæ virtutum indies incumbit, ita gravitatem malorum naturalium, ex moralibus ortorum, sensim imminuit. Valet autem generalis regula: Quod homines compendia calamitatum suarum quærentes, nihil moliri aut agere debeant, quod legibus Divinis foret adversum.

§. IX.

Præterea per mala naturalia excitari debet quilibet homo ad vitam suam jugiter emendandam. Omnis emendatio supponit statum hominis imperfectum, a quo erit recedendum; emendari igitur nemo potest, nisi agnoscat tam præsentem statum suum variis laborare malis, quibus carere quisque & posset & deberet, quam eorundem originem. Sed in antecedentibus ostensum fuit, quod mala naturalia imprimis oriantur ex moralibus; ergo homo ad perfectiorem & feliciorum statum pervenire cupiens, vitia sua, quantumvis familiaria, deserere debet; probe sciens, nimis seram esse eam emendationem, quum homo in eum statum fuerit redactus, ut non tam deserat vitia, quam potius ab eisdem deseratur. Modo dictis convenit præceptum Legis Naturalis, fundamentali proximum, de perficiendo statu nostro, adeoque de illis sedulo cavendis, quæ & mala sunt & mala gignere possunt. Certum itaque manet, docere ea, quæ nocent, & terrere, quæ semel læserant, si rectam rationem sequi velint homines.

§. X.

Imprimis autem decet hominem, mala naturalia sibi immissa patienti ferre animo, nec contra Divinam murmurare Providentiam. Duplici rursus modo isthac considero mala, vel enim homo propria culpa atque inordinata vita sibi eadem acceleravit, vel etiam ex antegressa culpa præcise non fluunt, sed ex sapientissimo DEI consilio in finem utique bonum hominibus inmittuntur. Si prius accidat, cur ægre hæc mala feret homo, qui eadem sciens & volens provocavit? Cur insolens aut durum censebit, quod effectus naturalis sequatur suam causam, malaque naturalia comitentur Moralia? Agnoscant potius his multati poenis Divinam justitiam, quæ sistit vitiorum operatores, priusquam in extremum sese præcipitent exitium. Quod ad cætera mala attinet, pleraque eorum graviora videntur, quam revera sunt. Attamen non est dissimulandum, quod jactura vel amicorum vel bonorum vel valetudinis vel vitæ sit ea, quæ homines imprimis adfligere solet. Quod ad opes attinet, earum non Domini, sed bonæ fidei tantummodo possessores sumus; quis vero æquus possessor in civilibus ægre ferret & injustum diceret dominum, qui rem suam, sibi tantisper concreditam, repeteret & alii postea committeret? Nonne æque ineptus foret, qui DEUM injustitiæ accusaret, quod bona sua repetat, dum homines eisdem fore abusueros prævidet? Tales vero casus qui utcunque ferre possunt, parum tamen abest, quin ipsi in funere imprimis amicorum, sibi dilectissimorum, fere deficient; sed quæ, quæso, causa est hujus recordiæ atque impotentia? Vix alia, quam quod ipsi adfectuum illecebris magis adficiantur, quam lanæ rationis dictaminibus. Sed audi, fodes: an DEUS alicui

promisit, amicum, cujus blando consortio tantopere delectatus fuit, immortalem futurum? Nequaquam; cur igitur inutili mœrore sese confici patitur? Instat forte quis, se non fuisse opinatum, amicum suum præpropere nimis fato fore casurum. Sed neque DEUS unquam promisit, quod amici terminus peremptorius ab humano penderet arbitrio. Nonne impatientia tua faciat, ut secretis DEI consiliis temere te ingeras, atque dum eadem taxare audes, non potes non ut rebellis civis crimen læsæ Majestatis Divinæ committere, adeoque peccata peccatis cumulare. Atque ita & præter & contra rationem agit impatiens, obliviscitur se ipsum & immemor est officiorum, quæ DEO optimo debet, suamque conditionem propria culpa non meliorem, sed indies deteriorē reddit. Quicquid de jactura amicorum diximus, applicari etiam potest morbis & mortis terrori. Sic eo gravius homini incumbit malum quo contumacius patitur, nihilque tam exasperat fervorem vulneris, quam ferendi impatientia. Feramus igitur, quod emendare non possumus, & DEUM, quo auctore cuncta eveniunt, sine murmure comitemur, acui nauticæ similes, quæ ante non quiescunt, quam ad stellam polarem conversâ sese stiterit.

§. XI.

Denique in adversitatibus non erit desperandum. Sicut homo calamitates quaslibet ægerrime fert, ita cum his colluctans DEUM sibi representat ut severum vindicem & rigidum nimis exactorem, qui in calamitatum articulo nullam sui curam gerit. Quocirca fatearis necesse est, quod si tale quid contingeret, nihil præter meritum nobis accideret. Sponte enim a DEO recessimus; non igitur injuste facit, si tergum nobis vicissim vertat.

Alia

Alia nihilominus DEI mens est & micat paterna ipsius cura in genus humanum inter densas aduersitatum tempestates. Quis enim est, qui homines ab omnibus relictos sustentat, qui animum illis & vires addit, qui media suggerit, quibus opportune erigi possunt? Nonne benignissimus DEUS; adeoque desperatio est injuriosa tam in DEUM, quam in eum, qui animum despondet. Diffidit enim DEI vel omnipotentiae vel bonitati vel utriusque; adeoque Enti perfectissimo imperfectiones ex levitate animi tribuit. Sed nec sibi consulit, qui in desperationem sese verti patitur: malum enim satis tolerabile reddit intolerabile, & in ultimum exitium sese precipitat, non dissimilis aviculis, quae ad spectu quorundam serpentum ita fascinantur, ut in fauces venenatorum horum animalium potius sese precipitent, quam facilem per aera meditentur fugam.

§. XII.

Tandem erga alios ita sese gerat afflictus, ut laetam forte eorum sortem ipsis non invidet. Cum enim felix rerum successus a Divina unice dependeat gubernatione; qui aliorum felicitatem inique fert, parique dolore sua damna & aliorum commoda metitur, is utique censuram judiciorum Divinorum instituit; quo ipse rursus graviter peccat. Adde: quod invidia nullum in adversis casibus solatium praebet, sed potius agritudinem prius conceptam augeat; adeoque impotentis animi signum habetur, alienis rebus opimis marcescere. Ut in compendium quae in hoc argumento dicenda supersunt, mittam: sicut frustra a mari pacata sperantur, sed post malaciam saevior metuenda est tempestas; ita adversus mala naturalia muniendus est animus noster saburra patientiae, unico malorum omnium antidoto. Esto, quod vacil-

vacillemus interdum & labamur, alacriores surgamus,
more palmae, quae oneri non cedit, sed obnititur, &
ut miles, si cecidit, surgit & animos irasque sumit a casu.
Idem nobis sit propositum, & constanter pergamus ad il-
lum tranquillitatis portum, qui sollicitudinum omnium
& ærumnarum expers, nos vere efficit beatos.

S. D. G.

